

THRACIA ET BVLGARIA 71

Thracia quæ hodie Romania, à Thrace Martis filio, siue asperitate sic dicta; ῥᾶχυ enim asperū
 Græcis dicitur, regio est nec cælo nec solo, nisi vbi mari vicinior est, satis fecunda tēperata
 quæ, frigida est, & eorum quæ feruntur, malignè admodum patiens; rarò vsquam pomiferam
 arborem, vitem frequenter tolerans, sed nec eius quidem fructus maturat ac mitigat, nisi vbi frigo-
 ra obiectu frondium cultores arcuerit. In ea quondam vrbes celebriores fuere Apollophania, E-
 nos, Nicopolis, Byzantium que postea à Constantino Constantinopolis dicta est, & in maius aucta,
 gloriosissimi Imperij sedes & Orientis totius caput delecta, Perynthos, Lyfimachia, Callipolis.
 amnes verò Hebrus, Nessos, Strymon. Montes; Hæmus, Rhodope & Orbelos. Homines habet feros,
 asperos & numerosos, aded vt si aut vnus imperio regerentur, aut idem sentirent, inexpugnabiles
 forent, & omnium gentium multò validissimi: sed quia arduum hoc illis est, & nulla ratione con-
 tingere potest, ided imbecilles sunt. Moribus tamen & opinionibus consimilibus sunt imbuci, præ-
 ter Getas & Traufos, & qui supra Crestonas incolunt, ex quibus Getæ se non mori persuasum ha-
 buere, sed ad Zalmoxim deum suum post fatum migrare. fuit hic Zalmoxis homo Pythagoræ quò-
 dam discipulus, qui in patriam reuersus cum animaduertent Thraces malè viuere & inscite, ipse e-
 doctus Ionicum viuendi genus & mores; ipsis leges dedit, docuitque atque persuasit popularibus
 eas seruantibus post obitum ad se in eum locum ire, vbi superstites omnium bonorum compotes
 essent; per hoc deitatis opinionem consecutus, è Thracum se conspectu subduxit atque euauit,
 maximo sui post se desiderio relicto. Thraces dum tonat fulguratque in cælum sagittas excutiunt,
 Deo minitantes, quod nullum alium præter suum esse arbitrentur. Traufi verò circa natalitia suo-
 rum atque obitus hoc faciunt: edito puero propinqui circumfidentes eum ploratione prosequun-
 tur, recensentes quascunque necesse est illi, quòd vitam ingressus sit, calamitates perpeti humanas.
 Hominem fato functum per lulum atque læticiam terræ demandant, referentes quod malis libera-
 tus in omni sit modò felicitate. At qui supra Crestonas incolunt, ista agunt: singuli plures vxores
 habent, quorum vbi quis decelsit, disceptatio magna fit inter vxores quæ nam dilecta fuerit à mari-
 to præcipue: & quæ talis iudicata est & hunc honorem adepta, ea à viris & mulieribus exornata,
 ad tumulum à propinquissimo suo mactatur, vnaque cum viro humatur, cæteris vxoribus id sibi
 pro ingenti calamitate ducentibus ac lugentibus, nam id eis dedecori datur. Ociari & ex rapto vi-
 uere pro re honesta habent: contrà, agros colere pro despiciatissima. Corporum magnitudine Thra-
 ces omnes homines antecedunt, cæruleis oculis ac truci visu, terrifico vocis sono, annosa ætate. Ae-
 dificia modicè ab humo eleuata. In Regis electione non nobilitas præualeat, sed suffragium vniuer-
 sorum. Populus enim eligit spectatum moribus & inueterata clementia, etiam annis grauem, &
 cui liberi non sunt. Nam qui pater fuerit, etiam si vita spectatur, ad regendum non admittitur; & si
 fortè dum regnat, pignus sustulerit, potestate exiuit, & sic custoditur ne regnum fiat hereditariū.
 Tum si rex etiam maximam præ se ferat æquitatem, nolunt ei totum licere, quadraginta ergo recto-
 res accipit, ne in causis capitula solus iudicet. Quòd si ipse etiam in peccato aliquo arguitur, morte
 mulctatur: non tamen vt cuiusquam manu atrectetur, sed consensu publico rerum omnium ipsi
 potestate interdicta, tandem fame pereat. BVLGARI gens ferox putantur è Scythia olim egressi, in-
 tuleruntque plurima damna regno Constantinopolitano, vexaruntque Christianos modis varijs,
 quousque tempore nepotum Caroli magni facte sunt induciæ & conditiones pacis, & captiua que-
 dara quæ in regia Christianorum seruerat veluti serua, soror Regis Bulgarorum reddita est: didi-
 cit autem hæc soror Regis, cum esset in captiuitate, literas: suscepitque ritum Christianorum &
 Baptisma, & tandem fratri restituta, instituit ipsum præceptis Christianis, monuitque vt idola abijce-
 ret, & vero Deo obsequia præstaret. & licet Rex sorori annueret, ausus tamen non erat repenti à
 patria religione discedere, verum accessit occasio assumendi Christianam religionem. Nam pestis
 vndique regionem inuasit, ac tam crudeliter vndique grassabatur, vt Libitina non sufficeret, anxius
 rex sororem rogauit vt huic malo remedium cogitaret; & illa solum Christum Saluatorem inuo-
 candam censuit, acquiescit rex, baptizaturque cum omni populo, accersito quodam sacrorum pon-
 tifice, à quo misteria fidei acceperunt, & mox potentia Dei innotuit, sedataque est pestis. Fama est
 primum regem Christianum in Bulgaria Trebellium vocatum, is monasticam secutus vitam, ex
 duobus filijs regnum maiori natu reliquit. Redijt nouus rex non multò post ad Dæmonum cultū,
 pietatem patris & institutum aspernatus. Nec id filij scelus tulit Trebellius, sed persona quam ge-
 rebat ad tempus deposita, regiam induit, receptoque regni gubernaculo, filium impietatis increpi-
 tum luminibus priuat, regnum dans minori natu, quod piè ex suoque instituto administraret: ipse
 que in documentum dedisse contentus, continuò se in ordinem redigit, atque hæc facta scribuntur
 circa annum Christi 869.



THRACIA ET BVLGARIA CVM VICINIIS.



Formalis
Jani Buffonechere. 1596.

